



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

I. Calvinus apud Bituricenses literis operam dans, de Melioris Volmari consilio ad Theologiae studium animum applicat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

opinionem sibi conciliandam, utentem. Eadem hypocrisis per Scorpionem in horoscopo constitutum, & in IX. domo Mercurio coniunctum præsignificatur: ut idem docet Junctinus. Inflexibilem vero hominis pertinaciam Mercurius & Luna, uterque in signis fixis versantes, indicant. Mars vero in Cancro constitutus, amarissimam bilem & iracundiam implacabilem hominis ostendit. Signa enim terrestria, si Cardano credimus, iracundiam ita imprimunt ut nunquam evelli possit, non minus quam canicula diebus canicularibus rabie correpta, ab ea sanari non potest.

VI. Sed nihil obstantibus his omnibus Nativitatis vitijs, quæ postea in ipsam Calvinum vitam influxerunt, Juppiter in domo sua unâ cum corde Lectoris magnam ei existimationem & honorem quem inter suos consequutus est, præsignificavit: ut qui Elias, alter S. Paulus, sol Mundi, Os Dei, homo inculpatus, non sine ludibrio simul & impietate à suis appellari meruerit: quævis Scorpio Ascendens ab omni illius dignitate in vera Ecclesia excludat, tum quod Juppiter Marti, qui Ascendens est dominus, adversus sit, tum etiam quod Cancrisignum, quod Jovis est exaltatio, naturaliter clericalem ordinem significans, in nona versetur domo, quæ religioni & Ecclesie est attributa: ut curioso Lectori ex prædictis Junctini ac Schoneri libris facile patebit. Equidem non is sum qui velim nescio quod fatum comminisci, & res has inferiores Astorum influentia necessario adstringere: quum sciam doctrinam hanc iam olim ab Ecclesia damnatam esse. Nihilominus tamen quum mihi pessimorum hæreticorum & in ijs Lutheri, Melancthonis & Calvinianorum explicanda esset historia; ut aliquo modo lectotis satisfacerem curiositati, etiam Nativitates eorum prodere volui, ut ne minuta hæc etiam posteritati ignota essent: interim intra Catholicæ Ecclesiæ septa, in qua extremum spiritum mihi emittere certum est, me continens, nec ab eius legibus vel latum unguem desectens.

QVOMODO CALVINUS AD
Theologiæ studium animum applicuerit, &

Lutecia Engolismam profugerit.

CAPUT IX.

ARGUMENTUM.

I. Calvinus apud Bituricenses literis operam dant, de Melioris Volmari consilio ad Theologiæ studium animum applicat.

II. Volmarus primus Calvinum animum hæresi corruptis.
III. Calvinus Lutetiam profectus, mox inde Engolismam se confert.
IV. Calvinus Græcus Clauxensis agnominatus, & cur.

I. Calvinus postquam ex pæbeis excessit, positum jam literarum fundamentis, de parentum consilio ad Iurisperendia studium animum applicavit, non minus ac Lutherus, missusque Aulianum sub Petro de Stella, insigni nominis Jurisconsulto, qui postea Parisiensis Curie præses fuit, prima fecit tyrocinia: inde Avaricum Bituricum profectus, magnam illum Alciatum leges explicantem audiuit. Hæc de se ipse scribit in Præfatione quæ Commentarijs suis super Psalmos præfixa est: ubi inter alia superbe admodum se cum Davide comparat, inquit, *Se vocationis sue initia sæpe numero in Davidis exemplo, tanquam in speculo, contemplatum esse: & quoties in Propheta huius vita cursum intuebatur, viam sibi ab illo commensurari visum fuisse.* Apud Bituriges quum esset in Meliorem Volmarum, quæ Navarra regina fovebat, incidit, magno tam suo quam totius Christianitatis damno. Erat autem Volmarus Germanus natione, Græcorum literarum professor, homo multæ eruditionis, & in linguarum studio bene versatus: quo eodem Calvinus successit quoque præceptoris usus est. Volmarus quum in juvene hoc singularem ingenij acritatem, firmitatem memoriæ, & magnam laetitiam, firmitatem memoriæ, & magnam laetitiam, & alia quæcumque ex præceptoribus audisset, quæ deinde ipse mira se monistam elegantia quam facilitate, scriptis consignabat, colligendi atque explicandi dexteritatem animadvertisset, præ ceteris discipulis diligere ac magnificare eum cœpit. Die quodam cum discipulo magister animi gratia deambulans, auctor ei fuit, ut posito Justiniani Codice, ad Theologiæ omnium scientiarum magistræ ac reginæ studium animum applicaret. O infelix Christianorum rebus consilium. Quæ quæ à Luthero iam valde essent afflicta, quid reliquum erat nisi ut à tali ingenio omnino pessum darentur? Suffoderat iam ille cuniculos, ad quos hic incenso velut pulvere uno spiritu dissandos, & ad ruinam faciendam, incubuit.

II. Volmarus quamvis Catholicum se simularet, Lutheranum tamen virus Calvinum inhaerabat, tantumque hac velut promulsi de hæreseos salivam in eo excitavit, ut tam foetidam non minus quam veritatem escam non prius ingurgitare cessaret, quæ ea non ad saturitatem modo repletus, verum etiam mortis datus